K … cus

Collegii Crac. Soc. Jesu: Fasces mortis gentilitiis Korycinsciorum securibus in geminata funera Illustrissimae Domus expeditis funestati.

FASCES MORTIS.

Gentilitijs KORYCINSCIORUM Securibus

In geminata funera

ILLUSTRISSIMÆ DOMUS

Expeditis

FUNESTATI.

Commune vulnus ex immatura morte,

PERILLUSTRIS MAGNIFICI DOMINI,

D. FRANCISCI KORYCINSKI.

CASTELLANIDÆ BRACŁAVIENSIS.

Sentiente Collegio Cracou. Societatis IESU SS. PETRI & PAULI Apostolorum

&

testante.

Anno Domini 1696. 7. Iunii.

CRACOVIÆ.

Ex Officina Francisci Cezary, S. R. M. Illustris: ac Reverendiss: Dni Episc: Crac: Ducis Severiæ, necnon Scholarum Novoduorscianarum Typographi.

In Illuſtriſsima
KORYCINSCIORUM
Arma.



Quod legis, inſcripſit geminata BIPENNIS acumen,
In Conſanguineum vulnus, acuta nimis.
Si benè proſpectum Patriæ cupis eſſe, preceris
In ſimiles ictus ASCIA fiat hebes.

STernimur, & tumulo parvũ claudente cadaver,
Spes immensa iacet, validâ præcisa SECVRI.
Erudit ipse dolor, veniant quo vulnera ferro,
Et quantum Fortuna favens his contulit armis
Robur, clade docet. Servâssent fata BIPENNI
Robustas virtute manus, numerosus ad aras
Isset Pluto tuas hostis, Dominiq; cadaver
Gente redemisset, numerum superante ruinâ.
Odrysiæ fera lustra Deæ hâc, tremefacta SECVRI
Culmine non ultra cirent nutante fragorem,
Nec Dominæ sinerent unquam latrare molossos,
Ipsa suo malè pulsa loco Diana, doleret
Bistoniam se audisse Deam. Quæ vertice Pindi
Assurgit, lauros inter formosior omnes,
Hoc casura fuit ferro, hanc signavit Apollo,
Sumeret emeritæ quam post sua præmia fronti.
Hæc KORYCINIIS Virtus innata spopondit,
Cunis digna suis, hæc mens præsaga canebat,

Sed quæ ſpes fuerant, nunc ſunt tormenta doloris.
Ferrum, quo Patriam voluit Fortuna tueri,
In nos Parca vibrat, noſtris nos conficit armis,
Inuidiam factura Deæ, quaſi tela miniſtret
In nos, quæ largâ congeſſit munera dextrâ.
Vulnus hiat, nondum de vulnere facta cicatrix
Sæuit adhuc. Quid dira novos intorquet in ictus
Mors ferrum? & nondum ſiccis poſt funera Matris
Luminibus, lacrymas noto ſibi currere calle
Cogit, deflendo geminat dum funere funus.
Pone moram lacrymis, ſpatium da ſæva dolori.
Quid lacrymas cumulas? quid luctibus eripis ævum
Non ſuffecturum lacrymis? temeraria neſcis,
Quantorum fæcundus erat cinis ille malorum,
Cùm Natum comitata Parens raperetur ad vmbras,
Defleri ſi poſſe brevi tot funera credis
Tempore. Ne tamen inde canas elata triumphum
FASCIBVS atratis ferrum quod iungis Avitum.
Hoc funeſtatos monſtrat tibi pagina FASCES.

Tot

TOt vno elatas funere ſpes, communi omnium dolori extinctam, quia publicæ natam exſpectationi Indolem, & nunquam non immaturâ periturum Morte, Illuſtriſſimum Adoleſcentem non ijs lugemus lacrymis, quæ nihil ultra, præter ereptam vitam, nihil præter illatam tumulo inanem plerumq; exſpectationem Fatorum exprobrent crudelitati. Damus magno Cineri lacrymas, ſed quia in illo millena Patriæ ſolatia, non vano omine polliceri potuimus. Habet unde Fata in crimen vocentur, Funus hoc, habet unde malignitati imputetur, quod in neceſſitatem eorum reiici ſolet. Retulit nimirum cæca mors vulnus quæ in Avitam Tuam impegit Aſciam Perilluſtris Caſtellanida. Tot in Te cum eripuerit ſolatia, Tecum unâ Patritiâ ſublata Securi, ſuos quoq; Faſces funeſtavit. Nimirum acuebas Tu in excidium hoſtium Aſciam Tuam, & quia invida magnis conatibus Mors obſtitit, in illam ipſam ut pote humani generis hoſtem Ferrum Tuum ſtrinxiſti. Fruſtra ſæpe invidiam accerſere gemitibus noſtris, conamur fato, ita pleroſq; è vitâ tollit, ut ne iuſtè querendi, quòd ſuſtulerit, relinquat facultatem. Cuius enim luctibus occumbere meruerunt, qui ſibi ipſis nonniſi victuri fuerant? At Te Perilluſtris Caſtellanida publicæ educatum ſpei, victurum communi omnium bono (quæ KORYCINSCIORVM Indoles eſt) nobis cum invida mors ſubmoverit,

omnium odiis in metam ſtetit, iiſdemq́; Solibus quos Tibi eripuit, noſtram accendit iram. Quidquid enim in aliorum Funeribus querulus Fatis obiiciebat dolor, id totum nos in hoc cumulatis lugendi rationibus reperimus. Nondum adultam ætatem, longiſſimosq; dignas ævo Animi dotes, in immaturo aliorum fato, prætendebat: hunc donãdum fuiſſe generi, illius parcendum ætati, huius animi magnitudinem non tam anguſtum tempus meruiſſe clamitabat. Tu Natalium Gloria Illuſtriſſimus, egregiis animi ornamentis & virtute ſummus ſolâq; Maximis minor ætate, nobis occumbis, quam eò acerbius, ereptam Tibi, dolemus, quò penitius non tam annorum, quàm virtutis ſpatia ſubducta novimus. Quanquã ſi virtutem Tuam attendimus, immenſum plane ævi ſpatium exegiſti, ſi annos, modicum, ſi omnium noſtrûm deſideria nullum. Prodigi ſæpe lacrymarum dolores, aliorũ ſuper tumulis, etiã quod lugeãt ipſi quærere debent, cumq́; ad præterita mentẽ reflexerint, ſuper cauſis, unde erũpãt in gemitus, unde alto pectore trahãt ſuſpiria, ſecum ipſi deliberant, qui ſi ad examen vocarentur prodegiſſe ac profudiſſe lacrymas, quas impẽdere debuerãt, convincerẽtur. At nobis undequaque circumſpicientibus ampliſſima ſeſe lugendi pandit materies, & veluti quoddã mare aperit, cui lacrymæ noſtræ, illabãtur. Non Tu ſupra tumulum ſtantibus, qualis eſſe debueras memoraris, ſed qualis fueras, cõploraris. Non

amica

amica fatigantur præſagia, vana futurorum fictione, ſed memoriã, jam per anteacta deduci poteſt, qualẽ virtus propria omnium propoſuerat oculis, nec qualem duntaxat naſcendi dignitas & majorum exempla promittebant.

Sed audendum tamen ſemel, reformidet quantumvis dolor, ſua illi propius iactura inſpicienda eſt, palàm ſit qualem quantumq; lugeamus, tum demum lacrymis noſtris quiſq; obiiciat quod nimiæ ſint, nam quod minores pro iacturæ menſura exprobrandum non metuimus, cum in aperto ſit cladis noſtræ magnitudo. Parvæ quoq; caſæ cum ad ruinam impulſæ ſunt, ſpectantium non raro movêre ſuſpiria: Magna in ſuis ruderibus dum ſepulta iacent ædificia, præter complorationem, etiam ſciri deſiderant, quo architectante, qualibus nixa fundamentis ſteterint, quantã ſuperaverint ætatem. Ortus itaq; Perilluſtri Caſtellanidæ is fuit, qui ſereniſſimum publicæ felicitati diem promittere poterat, ſi ad ætatis meridiem perveniſſet.

Quemcunq; requires
Hac de ſtirpe virum, certum eſt de Conſule naſci.

Per Faſces numerandi Atavi, eo etiam Maximi, quod illius Maiores eſſent. Vnde & Avitum Illuſtriſſimæ Domûs Decus, vel inde S T A R Z A Poloni Orbi appellari crediderim, quod inter Triumphos ac perennis gloriæ labores conſenuerit, vel, quod nullum iſto, antiquius, viderit Sarmatia,

felicitatis ſuæ, inſtrumentum. Si verò in Martis acie publico laborantem bono ſpectavero, quanta laudum ſylva Triumphis illius annuit, Securi caput ſubiicere debuit, quisquis ſe hoſtium, triumphali Ferro obiecerat. Quisquis inconſultâ temeritate in illud impegit, brevi truncum ſine Capite corpus fuit. Miraris tamen Aſciam hanc nulli colligatam Lauro, publicæ felicitati vincunt KORICINII. Omnem cum Patriæ dederint florem, ſibi nihil reliquêre. Quid enim hæc ornamenta quærerent, quibus maximum decus, nulli parcere præclaro pro Patria labori. Adde, quæ nihil molitur, quod non æternitati ſubſerviat. non è ſuâ Maieſtate PATRITIA SECVRIS facilè defluentium foliorum virore veſtiretur. Dediſſes plures Patriæ noſtræ Fortuna Aſcias, at potiùs dediſſes plures his ſimiles (quæ Avitam vibrabant Securim (manus pridem hoſtium Vrbes, Regna, excisa, hoc eſt barbaræ feritatis receptacula, deſerta forent. Non tamen ego hic, ſingulorum, ſine quorum ferro Mars inermis videri potuit, nomina, in paginam deduco: tum, ne publicam memorabilium ad poſteros, labilem arguam memoriam, tum, ne altam illorum interrumpam quietem, quam, vivi ut Patriæ afferrent omnem prorſus à ſe, pulchro pro Patria dediti labori, excluſêre. Quin laudibus efferre ſupervacaneum cenſeo, quos hoſtium attollunt buſta. Nempe hanc unam ut omnium

um

um pro Bono publico laborum avidiſſimi, ita modeſtiſſimi eorundẽ æſtimatores elationẽ admiſerê. Amarunt illi pulchra pro Patriâ ſubire diſcrimina, amârunt vulnera, at non quia, perennis gloria quaſi è laudum fonte eis manaret, ſed quod exaggerati erga Patriã amoris ferreo ſtylo exaratæ notæ eſſent. Tanti itaq; Heroes omnẽ exceſsêre laudem, qui ipſam etiã admirationem ſuperârunt. Ideas ſub concavo lunæ finxerit Plato, ego, cùm Avito ſtemmati inſertam Lunam videam, tantorum Heroum progeniem, à Cælo deductam crediderim, & vel ideo in terras deſcendiſſe, ut quales ab aliis fingi poſſent, à KORICINSCIIS exemplum haberetur. Nunc iam ab iis qui ſago claruêre, ad eos qui Togam ornârunt, tranſeo. Scilicet ipſorum ſequor veſtigia. Non aliâ ad hanc illi ivêre viâ, non aliter verticẽ ſubmiſerê honorum Inſigniis, niſi prius militari preſſum galeâ, non prius faſces prenſarunt, quam manus ad ferrũ haſtamq; erudiſsẽt. Hic verò in oculos involat Regni Aquilis Illuſtriſſimus STEPHANVS KORYCINSKI Poloniæ Cancellarius, qui ita Regni tractavit Ceras, ut ſuæ virtutis pretium, omnium animis imprimeret, ſicq; eos geſto munere flexit, ut cereos poſthac ad omnia habuerit. Eminet Leopolienſibus magnus Tyaris Illuſtriſſimus ac Rñdiſſimus ADALBERTVS KORYCINSKI, ex quo Pontifice, documentum Leopolis cepit, quãto potior mentium, quam montium ſuorum eſſet magnitudo, & quam præſtaret ab illuſtri virtute mutuari lu-

 cem,

cem, quam à tergemino suo sidere derivare. Quid reliquos prosequar, impar etiam recensendis, Adalbertum Lancicensem, Alexandrum Ravensẽ Palatinos? Spectavit in iis Senatus Consilia, ex Genio Patriæ armata, atq; in nodos expedita, mẽtis quam ferri acie acutiora. Sed quid ego luctus accumulo? Quid antiqua revoco funera? & quasi recens vulnus non sufficeret, nondum obductas, acerbâ cõmemoratione exaspero cicatrices? Quanquã antiqua funera quid voco? hoc rursus renovata in funere. Multum nimirum ex Maioribus in Nepote supererat, quo superstite, ut plurimâ sui parte se victuros rebantur, sic extincto ex integro cõmortuos sentiunt. Vivam sui imaginem Vmbræ circumstabant Maiorum, & quisq; seipsum, quasi in speculo contẽplatus, quos ipse impendere Patriæ annos optaverat, Nepoti precabatur. Nos ipsi quoties iacturæ in tot Illustribus Viris animum subibat recordatio, mæstis oculis amissa solatia in eo circũspiciebamus, & in novas illico spes in nova erigebamur præsagia: moderatiùs detrimenta nostra ferentes, quãdiu spes restaurandi aleret. Elusa quoties fatorum crimine, in tot Illustribus Viris, animum irritabat expectatio, ad illum spem remittebamus: Ille vero superabat omnium desideria, ut tanto Generi respõderet, egregiâ fallendi arte, eludebat spes nostras, cum illæ maxima quæq; de illo sibi pollicerentur, Ille præstaret maiora: nec puduit vota nostra discere, quid optare, quid expectare ab eâ Indole deberent, cui cum

Mater-

Materno Genere KONIECPOLSCIORVM influxit ſanguis.

Sed iam inter lacrymas ad Te noſtra delabitur Oratio, cuius indulſit dolori, *Illuſtriſsime Caſtellane* Publicos placuit præmiſiſſe luctus, ut pateret manifeſtiùs in Tuo, plurium funus efferri. Luges nimirum Natum Illuſtriſsime Genitor ſed quia publicæ ſpei eum creviſſe videras, tantùmq; à Te amiſſum doles, quantum illius Indolē, Bono publico noveras profuturam: ſic alienâ clade Tuam metiris calamitatē, ad publici doloris menſuram, fundis lacrymas: meritus proinde, qui omnium ſolatiis ſtuderes, omnium vota, ut in Tanto Filio ſubtracta ætas, ſeculis compenſetur. atq; in *Perilluſtri Canonico Premislienſi* IOACHIMO KORYCINSKI luceat Tibi Geminatâ luce pro Caſtore Pollux.

LVCTVS SOLVTIOR LIGATVS.

SI lacrymas ſpectare Patris, Patriæq; dolores,
Si gemitus, poſſent fata videre Spei,
Corde licet diro ſenſiſſent Fata dolorem,
Triſtiùs in tantis illacrymando malis.
Nam quis non doleat, natos ſuper æthera ſoles,
In medio curſu, cum Phäetonte mori?
Quis non indoleat, cum littore navis in ipſo,
Naufraga, demergit quas onerabat opes?
Spes Patriæ cecidit, cum vitæ ſurgeret ortus,
Occidit illuſtrem Phoſphorus ante diem.
Ille Patres Patriæ, Proavos, Atavoſq;, Patremq;,
Et faciem Regni, frontis honore tulit
Ille Senatorem teneris ſpondebat in annis,
Conſilium Patriæ mens inadulta dabat.
Si Mavors iterum voluiſſet viſere terras,
Rurſus & humanâ vincere bella manu,
Si Pietas hominum voluiſſet fingere mores,
Gratia ſi placido vellet in ore loqui,

Illius in roseo risisset Gratia vultu,
Nec posset proprio dulciùs ore loqui;
Illius & Pietas simulâsset corpore mores,
Et magis hoc vivens corpore sancta foret;
Illius & Mavors ferret per bella lacertos,
Cor, ausus, animum, pectora, colla, manus.
Spes amissa redi! quia dignè plangere nescit
Te, licet edoctus cordis ab arte dolor.
Audiit & tristi temerè spes nixa sepulchro,
Sic inter lacrymas emoriendo gemit.
Tune ruis? cui nixa Domus supereminet omnem.
Fortunæ molem, quâ superatur Honor!
Noscitur ex casu, quantum Libitina superbit,
Quod sit par tantæ tanta ruina Domûs!
Emoreris pretiosa mei Fortuna laboris
Fastorum totâ Posteritate labor!
Emoreris, Pietatis Honos, & Fama Iuventæ,
Delicium decoris delicijq; decus.
Pallet in exanimi perterrita purpura vultu
Quæ formas inter gloria prima, fuit!
Illustres Ceræ gemitu fervente liquescunt,
Et lucent umbris pompa dolenda tuis!
Me nisi solicitis tardasset gloria curis,
Sensissent iras Fata superba meas.
Voluebam Fastos, peragrabam culmen Honorum;
Cùmque moror, moritur vita suprema spei!
Sed quid ego remoror solatia mæsta querelas?
Præstat in hoc tumulo Te moriente mori!
Planxit; & emoriens, per saucia tela dolorum
In tumulum fosso pectore prona ruit.
Cùmq; sacros Cineres ferremus in atria mortis,
Hos procul ex Feretro carpsimus aure sonos.
Munde vale, Fortuna, Pater, Fratresq; valete
Quos Consanguinitas, vel sociavit Amor.
Ibo memor Vestri, manesq; precabor, ut annos
Adijciant Vobis, quos rapuêre mihi.
Ad Vos cum Zephyris suspiria mæsta ferentur,
Ad Vos cum nimbis tœdia nostra fluent.
Hoc unum doleo, Patrio cùm pellor ab Orbe,
Quod non emoritur me moriente dolor.
Vivite morte meâ, nostrô succrescite casu,
Et quòt ego cineres, tot numerate dies.

~~Korycinski Franciscus~~

~~Cracoviensis Collegii Soc. Jesu Fasces mortis.~~